

**Commentatio de diureticorum medicamentorum temere adhibitorum noxa  
in hydrope / auctore Jacobo Henrico Kühlewein.**

**Contributors**

Kühlewein, Jakob Heinrich.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Goettingae : Litteris Ioann. Henr. Schulzii, [1786]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/y966vhfd>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

8.

COMMENTATIO  
DE  
DIVRETICORVM MEDICAMENTORVM  
TEMERE ADHIBITORVM NOXA  
IN HYDROPE.

---

AVCTORE  
JACOBO HENRICO KÜHLEWEIN  
MEDICINÆ DOCTORE.



---

GOETTINGAE  
LITTERIS IOANN. HENR. SCHVLZII, ACAD. TYPOGR.

61

ИПОТИЧЕСКИЙ МИССИОН

АКОУДИОВАНИЯ

1990 год, № 1

ИПОТИЧЕСКИЙ МИССИОН

АКОУДИОВАНИЯ

1990 год, № 2

ИПОТИЧЕСКИЙ МИССИОН

АКОУДИОВАНИЯ

1990 год, № 3

ИПОТИЧЕСКИЙ МИССИОН

АКОУДИОВАНИЯ

1990 год, № 4

ИПОТИЧЕСКИЙ МИССИОН

АКОУДИОВАНИЯ

1990 год, № 5

DE  
DIVRETICORVM MEDICAMENTORVM  
TEMERE ADHIBITORVM NOXA  
IN HYDROPE.

---

Inter morbos, qui praeceteris curatu difficiles sunt,  
omnemque saepe medentis artem eludunt, atque fru-  
strantur, ultimum sane locum haud obtinet dirus Hy-  
drops. Quapropter actum, hercle, agere is neutiquam  
videbitur, qui animo attento in eius naturam penitus  
inquirere, & a praeconcepta quacunque opinione li-  
ber, methodum, quam in eo curando sequi solent me-

A

di-

dici, seueriori scrutinio subiicere allaborat. Cum autem istud eruditissimi et sagacissimi pariter ac experientissimi medici, non tironis, opus sit, exercitationisque academicae limites longe excedat: nonnulla saltem de euacuantium ac primis diureticorum remediorum recto vsu in Hydrope animaduertere, speciminis, inauguralis loco, mecum constitui, quatenus scilicet proximis exiguo medulo licebit.

### §. I.

Hydropem adesse aiunt Medici, ubicunque aquosus latex, notabili quantitate extra vasa effusus stagnat, siue in totius corporis celluloso contextu (*Anasarcam* vocant) siue in singulis corporis humani cauis, pro quorum diuersitate varia nomina nactus est. Quae sigillatim recensere huc non pertinet.

### §. II.

Varias is causas agnoscit, quorum scrutinium utramque paginam facit in curatione, quippe haec pro illarum diuersitate diuersa sit necesse est. Praecipuae vero earum sunt:

1. Nimia solidarum partium laxitas, indeque nata fluidarum aquosa tenuitas; siue a sanguinis, aliisque fluidi nimia iactura, siue ab aëre iusto humidiore, siue a vita sedentaria, siue a potulentorum aquosorum abusu, siue a morbo praegresso et causa demum quacumque, solidarum partium tonum in toto corpore vel singulis eius partibus infringente, producta.

2. Vasorum sanguiferorum maiorum compressio atque obstructio; indeque interceptus sanguinis circulus, quo fit, ut aquosa sanguinis pars per vasa minora, sanguine nimium repleta atque distenta transprimatur, ac in cauis vel cellulosa tela colligatur, dum bibula venarum capillarium orificia, a venis turgidis compressa, resorptionis officio perfungi nequeunt. Hinc fit, ut asciticorum grauidarumque pedes tumeant, totiesque Hydrops oriatur a polypo cordis atque vasorum maiorum, viscerum scirrhis, variisque tumoribus, vasa comprehendibus

3. Obstructiones vasorum minorum, quibus, liber sanguinis transitus, ex arteriis in venas impeditur. Hinc toties Hydropis origo quaerenda est in viectu nimis viscido, non satis concocto atque subacto, aëre hu-

mido, validiori ac diu continuato corporis exercitio, abusu potulentorum spirituorum, sanguinem coagulantum, vasisque rigiditatem conciliantium et quae sunt reliqua.

4. Vasorum lymphaticorum ruptura, indeque ora lymphae effusio (a).

5. Secretiones naturales serosae cohibitae, quo fit ut sanguis aquosis partibus plus iusto abundet, easque in loca corporis varia deponat. Huc imprimis pertinet excretio cutanea atque renalis.

6. Impedita humoris istius resorptio, qui in causa corporis continuo exhalatur in statu sano. Hinc nascitur Hydrops pericardii, uteri, &c.

### §. III.

Sponte itaque patet, duplicem esse indicationem curatoriam. Primo enim tumor aquosus discutiendus est,

ac

(a) Quam eaussam et si MONRO neget dissectionibus comprehendari: non diffitetur tamen, obtinere posse; imo ipse exempla ex scriptoribus collegit, in quibus latex hydropicus, lymphae persimilis inuentus fuit. *Vid. Essay. on the Dropsy pag. 22.* Conf. de hac re SVIETENII *Comment in Boerh. Aph. §. 1228 p. 288 lqq.*

ac deinde prospiciendum, ne noua iterum aqua colligatur. Illud efficere student Medici siue se- et excretiones naturales serosas adaugendo, siue noua collectis aquis emissaria parando. *Hoc autem fieri nequit, nisi causa morbi, quaecunque ea sit, corrigatur.*

#### IV.

Excretiones vero serosas prae ceteris augent medicamenta purgantia, maxime validiora; vomitoria, sudorifera, sialagogica, diuretica. Inter omnia haec, diuretica maxime arridcre consueuerunt medicis, partim quia satis largam aquosum humoris copiam educunt, partim quia placidius reliquis agunt, nec machinam adeo vehementer conturbant (prouti nempe vulgaris opinio fert); ut ideo vel debilioribus exhiberti tuto possint, quos validioribus illis ferendis morbi vis impares iam reddidit. Experientia porro comprobauit, felicissime haud raro cessisse diureticorum usum in hydropicis: imo non desunt obseruata sat numerosa, ex quibus apparere videtur, his solis curationem Hydrops faustissimo omine absolutam fuisse sine aliorum remedium adiumento. — Hinc factum est, ut Medicis empiriam magis, quam rationem sequi soliti, quoties ad hydropicum accersentur, statim de exhibendo diureti-

co cogitent, omnibusque indicationibus egregie satis-  
fecisse et morbum quamuis rebellem, masculine debel-  
lasse aulument, dum scillae, iuniperiue ope vrinae fluxum  
sollicitauerint.

### §. V.

Sed praeterea quod empirica eiusmodi medendi methodus pessime dedebeat Medicum rationalem; facile apparet morbum nequaquam tolli, etiam si, larga aquae copia educata, tumor quadamtenus subsideat. Nisi enim caussam morbi simul tollas, maiori plerumque impetu, breviorique mora denuo irruet aqua, imo augebitur, non sine magna ac difficulter reparanda virium clade. Nam sicuti plethora non minuitur venaesectione, sed augetur potius; adeo ut, quo frequentius ea instituatur, eo saepius eandem repetere necesse sit: ita aqua hydropicorum per vrinae, aliasue vias expulsa semper recurret, donec caussam tollere contigerit. Cribro itaque aquam haurire videntur, qui neglecta prorsus morbi caussa aquas collectas datis diureticis educere satagunt, neque simul alteri indicationi satisfacere conantur, nimirum sublata, vel quoad fieri potest, emendata morbi caussa, prospiciendo, ne semel educata aqua iterum accumuletur.

In-

Interim diffitendum non est, numerosas obseruationes existare apud auctores, qui de Hydrope scripsierunt, eosque fide dignissimos (b) quod solis diureticis saepe radicibus sanatus sit Hydrops. Verum supra iam positum est, caussam Hydropis latere posse in excretionum naturalium serofarum morbosa retentione. Hinc fieri omnino potest, quod restituta, diureticorum ope, libera vrinae se et excretione, quae antea cohibita erat, caussa morbi una summoveatur. Sed de hac re infra adhuc pauca proferendaerunt.

### §. VI.

Verum enim vero, non modo non sufficient Hydropi curando, sed pessime etiam saepissime nocent diuretica. Satis enim notum est, quod pleraque diuretica, certe valentiora, soluente sua vi, humores fundant atque dissoluant; hinc prodesse quidem possunt, ubi pro visciditate et tenacitate resorberi in humorum circulantivm orbitam nequit hydropicus latex. At nimia humorum tenuitas ad caussas Hydropis merito refertur; re-

me-

(b) MONRO I. c. SVIETEN I. c. LISTER Exercitat. de Hydrope. LEAKE medical. instructions.

media igitur omnia, quae hanc augent, cane et angue  
pejus vitanda sunt Hydropicis. Nam si caussa morbi  
lateat in tenuiori iusto humorum crasi: exulare ista de-  
bere, quae illam augent, per se elucet; sin alia subsit:  
nouam inducendo eo insanabiliorem morbum reddant,  
in utroque casu igitur oleum igni addant diuretica teme-  
re adhibita, necesse est. Longe autem maior erit eorum  
dem noxa, si incassum data aquas non expellant, id  
quod non raro accidere, optime norunt medentes. Idem  
fere de diureticis valere videtur, quod de purgantibus  
validioribus praeclare affirmat insignis MEAD. Ait enim:  
*'Vbi fractae vires, nocet vehemens per aliuum purgatio; quo  
enim plus humoris e corpore eiicitur, eo maior ipsius copia  
breui in cavitates refluit (c).* Licet enim magis conspi-  
cuum sit purgantium, certe vehementiorum, detrimen-  
tum, siquidem diuretica adeo vehementer corpus non  
turbare, supra iam fassi sumus: multum tamen abest ut  
innoxia sint.

### §. VII.

Sed aliud effectum diuretica praestant, si ab hac,  
aliud si ab alia caussa morbus natus sit.

Prodesse

(c) Monita et pracept. med. Cap. 8.

Prodesse possunt, vbi haec, at pessime nocebunt,  
vbi alia obtinet. Praecipuas igitur illas, quas supra re-  
censuimus, sigillatim lustrare iam lubet.

Ez primo quidem nascitur Hydrops a nimia solidorum laxitate, quacum plerumque coniuncta est fluidorum morbosa tenuitas. Ecquid itaque aut sperandum, aut timendum erit a diureticorum vsu in Hydrope ab hac caufsa nato? Praecedente paragrapho iamiam attigimus, diuretica fere omnia humores attenuare, solida laxare. Quid inde? Caussam morbi augendo sperare, fore ut morbus tollatur, minuaturue, absurdum esset. Pronum ergo est colligere, diuretica non modo non sufficere posse Hydropi sanando, si a caufsa iam memorata natus sit; verum nec tum eorundem vsum tutum esse, ad aquam in tumore collectam expellendam. Praestaret sine dubio in eiusmodi casu, alteram methodum sequi, qua nimicum per noua arte facta emissaria aquis exitus paratur.

Est igitur, vbi paracenthesis, quae toties laudata est a medicis, quoties reiecta, merito praefertur hydragogis. Nisi enim ad incitas iam redactae vires sint, minus timendum erit ab hac, vtpote quae caussam morbi certe non auget, quamquam eandem non tollat; quam

a diuretieis remediis, quae caussam morbi adaugendo, illum rebelliorem reddant, necesse est. Si autem adeo iam exhaustae sint vires, ut aquarum per acum educationis sustinendae par non censeatur aegrotus: tum profecto multo minus licebit, diuretica, validioraue hydragoga tentare.

### §. VIII.

Non magis sperandum erit a diureticorum remediorum usu, si altera caussarum Hydropem generit. Nam non solum caussam istam attingere nequeunt, sed ne aquis quidem expellendis sufficient. Antequam enim renibus expellatur hydropicus latex, in circulantium humorum massam resorbeatur necesse est. Verum cum in hoc casu resorbentia vasa venis sanguine turgidis compressa resorbere nequeant: incassum dabis diuretica. Nam sanguinem circulanten quidem aqua sua priuabunt, dum renum excretionem copiosiorem reddunt; at tumorem hydropicum non minuent. E contrario, sanguinem spissiorem reddendo, obstructiones vasorum iam praesentes, non modo augebunt, sed nouas efficient. Sicut igitur tumor, qui grauidarum pedes occupat, abigi nequit diureticis: ita Hydrops ab obstructionibus, scirrhis ac tu-

mo-

moribus, vasa comprimentibus natus non modo non levabitur iisdem, sed augebitur.

### §. IX.

Pari fere modo se res habet, si obstructiones in minoribus vasculis haerentes Hydropi originem dederunt. Quin maior adhuc erit diureticorum noxa, quatenus hic maior iam accusanda est humorum spissitudo, quae augeatur necesse est, si partes aquosae, quibus adhuc gaudet sanguis per diuresin expellantur. Humectandum potius, incidendum atque attenuandum erit, quo obstruta expediantur, transitus arteriosi sanguinis in venas liber restituatur, eoque morbi causa tollatur.

Et hic quidem, si vñquam, liberior aegris potus concedendus est. Cum autem parca admodum sit renum excretio in hydropicis, indeque metuendum, ne copiosior potus, in corpore retentus, immaniter augeat Hydropem: erre erit vtique, talia potui addere, quae leni stimulo renum secretionem incitando, assumtas aquas ex corpore iterum expellant. Hinc diuretica leniora adhiberi quidem poterunt; sed minus eo scopo, ut aquae collectae expellantur; quam eo, ne quotidie

ingesta in corpore retineatur. Cum autem aquae medicatae eiusmodi stimulo gaudeant propter aërem fixum, quem continent: hinc iisdem sanatum quandoque Hydropem fuisse legimus.

### §. X.

Non attinet multum proferre de noxa diureticorum in Hydrope a ruptura vasorum lymphaticorum nato. Nemo enim facile erit, qui comperta hac morbi caussa de exhibendis diureticis vel somniabit quidem.

### §. XI.

At iam videndum est, quid diuretica praestent, si morbus ortum duxerit ab ea caussa, quam quinto loco supra posuimus; nimirum ab excretionum serosarum praeternaturali retentione.

Longe autem aliter se res babet in hoc casu, quam in haetenus allatis. Nam non modo tuto hic adhiberi poterunt diuretica ad aquas collectas per vrinæ vias eliminandas, verum etiam haec obstructos forte renum tubulos incidente sua ac stimulante vi aperiendo, sanguinemque a superfluis aquosis partibus liberando, caussam

mor-

morbi tollere, eoque radicitus sanare Hydropem posse, haud absolum est statuere. Et plerasque forte eorum, quas solus diureticorum usus ab Hydrope liberauit, tali modo morbum contraxisse, vero persimile videtur.

Ne itaque iniqui videamur diureticorum remediorum censores: ingenue fatemur, dari casus, in quibus ea insigni cum utilitate proprinari possunt ac debent; immo, eosdem reliquis omnibus hydragogis palmam quandoque praeripere ac utriusque curationis indicationi simul satisfacere; modo debita in iis exhibendis habeatur causae morbi reliquarumque, de quibus infra adhuc locuturi sumus, rerum circumstantium ratio.

## § XII.

Restat iam ultima caussarum, nempe impedita resorptio liquidi causa humectantis. Quicquid autem resorptionem promouebit, id caussae huic medebitur. At diuretica non semper efficere posse, ut humor extrauersatus resorbeatur, paullo post patebit. Praeterea in statu sano videtur halitus iste vasis resorbentibus excipi, antequam in laticem condensari possit. Hinc difficilius humor iste excipietur vasculis, tenuem halitum excipere solitis, ni-

si aliis auxiliis succurreris; siue frictione sorptionem concitando, siue vaporibus spiritus vini accensi humorem resorptioni aptiorem reddendo. Quibus simulac resorptionem promoueris: tum diureticorum ope humorem resorptum facillimo negotio ex corpore expelles. Quodsi autem resorptionem efficere non contigerit propter causas mox attingendas: tunc exspectationi non respondebunt diuretica, sed alio quoquis modo humor educendus erit.

## XIII.

Quaecumque autem sit Hydropis caufa, et quantumvis omnia suadere videantur diureticorum usum: nequidquam tamen eadem adhibebuntur, vbi cumque cava aqua adeo repletum est, ut nimium compressa resorbentia vasa officio suo perfungi nequeant. Nam supra iam dictum est, aquas hydropicas per urinæ vias ex corpore expelli non posse, nisi antea resorptae ac in circulantium humorum orbitam reductae fuerint. Sin autem hoc ob nimiam resorbentium vasculorum compressionem fieri nequeat: efficacissima quaque diuretica nihil proficient. Siue enim plane nihil aquae expellent, siue humores extra tumorem circulantes aquosis partibus

or-

orbando, illum prorsus intactum relinquunt. Et in hoc quidem casu iterum hydragogis omnibus longe anteponenda erit punctura. Licet enim humor emissus morbum non sanet: medicinae tamen locum facit. Nam simulac pressione liberentur vascula resorbentia, ut libere dilatari ac sorptionis officio perfungi possint: tum quod reliquum est stagnantis laticis, facilius educi per renes poterit. Saepius obseruatum est, post institutam paracenthesin vrinam sponte per aliquot dies liberrime fluxisse, eoque nonnunquam integre sanatum morbum fuisse. Inde etiam esse videtur, quod diuretica, per satis longum tempus frustra data, efficacissima interdum euadant, si purgante hydragogo aliqua ante aquae pars per aluum exturbata, tumorque eo quadamtenus imminutus fuerit.

#### XIV.

Idem ferme obtinet, si extravasatus humor praenimia visciditate neque resorbentium vasorum orificiis excipi, neque per renum tubulos transire possit. Nam et tunc incassum propinabuntur diuretica, nisi prius de attenuandis humoribus cogitaueris. Hinc tanti usus sunt in Hydrope medicamenta resoluentia sive priorem

dun-

duntaxat indicationem respicias. Hinc quoque factum esse videtur, quod mercurius dulcis tantam apud celeberrimos medicos laudem nactus sit in curatione Hydropis. Vixit hic Goettingae ante plures annos peritissimus medicus, qui felicitate, qua Hydropi in primis mederi solebat, haud mediocrem apud Goettingenses famam adeptus erat. Is autem mercurium dulcem diureticis modo iungere, modo praemittere consueuerat; imo adeo liberaliter cum isto pharmaco mercabatur, ut in ejus usu pergerenon dubitaret, donec leuis ptyalismus glisceret d).

## XV.

Non temere itaque exhibenda sunt diuretica, quamvis constet de necessitate et utilitate, aquas collectas per renes expellendi. Saepe enim illa frustra propinantur, non sine insigni aegri detimento, eximie profutura, nisi iis praemittenda neglecta fuissent. Siue enim, proutires postulat, humores viscidi attenuandi; siue nimia aquae copia alio modo minuenda, quo vasa resorbentia libere agere possint; siue demum impedimentum quodcum-

d) V. JOH. HENR. RIEPENHAVSEN *morbi epidemii Goettingae graffati, descripti etc.* Hal. 1766. 8.

cumque e medio tollendum est. Huc etiam pertinet pernecessaria in Hydrope primarum viarum purgatio. Saepe enim hæ fardibus ac viscido glutinoso adeo obrutae sunt, ut præstantissima diuretica efficaciam suam exserere nequeant. Quin, calefaciente suavi nocebunt ubi impuritatibus corpus scatet, quae commotae febrim accendere posse, qua aegri res longe detiores redduntur, nemo ignorat. Imo experientia sexcentesies docuit, remedia primas vias euacuantia diureticis viam egregie aperuisse. Egregius LEAKE affirmat, se saepius obseruasse, quod non solum vomitoria, sed etiam purgantia promouerint vrinae secretionem, postquam diuretica frustra adhibita fuissent (e).

### §. XVI.

Neque diuretica semper idonea sunt, quibus aqua collecta expellatur, licet nihil eorum, quae hactenus exposuimus, usum illorum dissuadeat. Sicut enim in acutis morbis sedulo attendendum est, quamnam viam Natura elegerit ad eliminanda per crifim noxia; ita nec in chronicis temere negligenda sunt medicatricis Naturae molimina.

Me-

(e) Medical instruct. pag. 334.

Medicum enim eius ministrum, non dominum esse, tritissimum erat apud veteres artis antistites axioma; licet hodie non desint, qui venerandos illos Naturae observatores alto supercilium despiciant ac salutaria quaevis illius molimina vilipendendo, tyrannum potius Naturae, quam eius ministrum agant. Verum redeamus in viam.

Sedula morborum contemplatio experientissimos medicos docuit, Naturam vel in diuturnis morbis moliari sanationem et per varias saepe excretiones morborum caussas exterminare. Sic quoque in Hydrope obseruata est, modo per sponte obortum vrinae fluxum, modo per diarrhoeam aquosam, modo per sudorem, modo per saliuam (quod rarius forte accidit), modo per vlcera et excoriationem cutis, modo per alias vias, aquam suapte expulsisse. Plurimum itaque intererit, attente obseruare, quo potissimum vergant salutaria ista Naturae molimina, et quamnam illa viam medico praemonstret. Male enim sudorem exprimere conabitur medicus, si renibus aquam expellere Natura sibi proposuerit; et versa vice incassum, nec sine damno, diuretica exhibebit, si per cutis spiracula humorem dissipare illa statuerit. Neque vero semper difficillimum erit explorare, quo Naturatendat, modo attentissimo studio omnia, quae illa mo-

litur, speculeris. Sic cutis praeter consuetudinem mada, cum aliqua tumoris imminutione, indicio erit, sudorem quauis arte promouendum et ab alio quoquis Hydragogo abstinentum esse, ne temere turbentur Naturae conamina. Purgantia autem remedia prae ceteris indicabuntur, si alui; diuretica, si vrinae fluxus vel sponte oriatur, vel lenioribus pharmacis facile moueatur cum euphoria.

### §. XVII.

Dum haec scribo, contigit mihi videre virum quinquagenario maiorem, duobus iam retro annis, primum anasarca, deinde et ascite simul laborantem. Nec pectoris cauum aqua vacuum esse, ex perdifficili, crebra et cum strepitu peracta respiratione, tussi, difficili in utrumque latus decubitu et percussi thoracis sono suspicari fas erat. Is varia diuretica, maxime scillitica sine fructu sumserat. Nam tumor indies, quamuis sensim, augebatur, nec unquam inde lotium notabiliori copia aeger reddiderat. Interim aliquam leuaminis speciem ipsi praeberat radix Bryoniae albae, quam amicorum suasu, satis larga dosi, nimirum ad integrum drachmam, aliquoties

C 2

de-

deglutuerat. Praeterea tumor minui, pectusque quadam-  
tenus liberari videbatur, quoties carne vitulina ouillaue  
vesceretur; vtraque enim, pro singulari, qua gaudebat,  
idiosyncrasia, perquam largas, aquosasque alii deicctio-  
nes ipsi caussare semper consueuerat.

Immaniter interea tumor cum ventris, tum extre-  
morum creuerat, summaque pectoris oppressione aeger  
excruciabatur; donec femora erodi, intense rubere ac li-  
vescere, foetidissimumque laticem larga copia plorare  
coepissent, non sine acutissimo et vix sustinendo dolore.

Medicus aduocatus pessima quaevis timebat a gangre-  
na, quam ineuitabilem et iam imminentem pronuncia-  
re prae ceteris inducebatur execribili emanantis humo-  
ris foetore. Emanabat autem tanta copia, vt sex con-  
gia eo impleri quotidie potuissent. Perrexit vero efflu-  
vium istud per nouem dies, donec abdomen aqua peni-  
tus depletum, pectusque, sani instar, liberum esse vide-  
retur. Et iam quidem deorsum quasi proserpsit excoria-  
tio illa; ita tamen, vt superiora cito consolidarentur et,  
dum genua liuida humorem plorare pergerent, licet mi-  
nori copia, nec adeo horrendi foetoris; femora sanis si-  
millima, quamuis flaccida et emaciata viderentur. Et sic

ex-

excotatio perrexit ad metatarsum vsque, eadem ratione. Aeger autem ex eo optime valet; bene appetit, concoquit, egerit, dormit; liberrime spirat, tussi exemptus. Interim tamen redire iam coepit ventris tumor, vt itaque radicalis morbi sanatio haud speranda esse videatur.

### §. XVIII.

Ex hactenus dictis satis superque patere arbitror, diuretica non temere semper eligenda esse ad hydropicorum aquas propellendas, nec eadem semper ac vbiique praferenda esse reliquis hydragogis, sed iisdem quandoque postponenda, si nempe aliam viam Natura praemonstret. Eadem ergo diureticorum ratio est, ac reliquorum omnium, quae hactenus ars nouit, pharmacorum, scilicet ut eadem modo optime profint, modo pessime noceant. Medici igitur, qui rationem sequitur, est, omnia, quae ad morbum gignendum in singulis fecerunt, animo probe perpendere, ac ex omnibus, cum praesentibus, tum praeteritis, serio inter se comparatis, optimam, singulis aptam; medendi methodum eruere; dum empirici, medicorum nomine parum digni, uno eodemque remedio morbos, quoad cauñas quamuis diuersos curant, modo nomine conueniant.

Pauca adhuc proferre mihi proposueram de diureticorum delectu. Verum domesticarum rerum ratio, quae in patriam me reuocat prius quam speraueram, invitum cogit, finem labori imponere.

---